

SCRIPTA

Numéro Scripta : 2538

Auteur(s) : Jean Ier de Neuville, Sées (évêque)

Bénéficiaire(s) : Tours, Saint-Martin de Marmoutier (abbaye)

Genre d'acte : notice

Authenticité : non suspect

Datation : 1126

Lieu d'émission : Sainte-Gauburge-lès-Rouen

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Accord intervenu, par la médiation de Henri Ier, roi d'Angleterre, entre Jean, évêque de Sées, et les moines de Marmoutier, relativement aux deux églises de Dancé et Saint-Martin du Vieux-Bellême, dont les moines établissent la possession en leur faveur depuis plus de trente-trois ans ; — où ils avaient coutume de placer des chapelains pourvus seulement d'un boisseau de blé, ce que l'évêque jugeait insuffisant ; — permission donnée aux moines de continuer la jouissance de leur droit de nomination, à condition qu'ils fourniraient par eux-mêmes à leurs chapelains des moyens d'existence suffisants.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Barret Philibert (Abbé), *Cartulaire de Marmoutier pour le Perche*, Mortagne-au-Perche, Meaux (Documents sur la province du Perche ; 3e série, 2), 1894, n° 23, p. 36-38.

Texte établi d'après a

Ad presentium memoriam seu futurorum notitiam presentis pagine scripto notandum duximus qualiter, Domino auxiliante, querela que inter nos Majoris scilicet Monasterii monachos et donnum Johannem Sagiensem episcopum, super quibusdam duobus territorii Belimensis ecclesiis, Danciaco videlicet et Sto Martino de Veteri-Belismo, diutius agitata fuerat, agente tandem et mediante Anglorum rege, glorioso ac reverendo Hanrico, anno ab incarnatione Dni M C XXVI sedata fuerit et definita. Querebat enim predictus pontifex in jam dictis duabus ecclesiis quas legitima possessione atque canonica annis triginta tribus vel multo amplius quiete possederamus, capellanos nostros, ad modiationem unius modii frumenti inibi semper ponentes, ut in omni illarum decima ecclesiarum, unde totus pene victus monachorum ecclesie Sancti Leonardi deservientium proveniebat, ipsi nostri earum presbiteri tertiam aut ad minus quartam reciperent, dicens quod nec honeste, nec sufficienter de modio illo ipsi sacerdotes vivere poterant ; nec ecclesias ipsas, que semirute videbantur, ut dignum fuerat, restaurare.

Que nimirum episcopi postulatio, cum nobis gravissima videretur, et rex ipse, utpote ecclesie Majoris Monasterii pater et frater, res nostras seu possessiones, unde in Dei servitio vivere debemus, minorari nullatenus vellet ; post multas inde habitas placitationes, statuit tandem atque precepit ut episcopus ille ab hac deinceps querela quiesceret ; ita duntaxat ut et nos de presbiteris ipsis taliter per nos ipsos ordinarem, quod et ipsi in illis ecclesiis sufficienter vivere possent, et ab hujus modi adversum nos querela ultra silerent.

Actum in presentia regis apud Sam Gauburgem, prope Rothomagum, et ab episcopo ipso Sagiense, donno Johanne, concessum, presentibus istis : Gaufredo Rothomagense archiepiscopo, Audo Ebroicense episcopo, Bernardo Sancti Detuini episcopo, Gaufredo regis cancellario, Galerano archidiacono, Rotberto de Sigillo. De laicis : Rotberto

de Haia, Grimaldo medico, Rotberto de Dangu, Rotberto de Chandos, Rogerio fratre ejus, Hugone de Braitello. De nostris : Donno Odone abbate, Gaufredo priore, Guillelmo de Paciaco, Evano sacrista, Nicholao, Gilduino, Radulfo Mordente, Johanne de Vivonio, Guilelmo priore Belismense, Rainaldo de Castro Gunterii, Gaufredo de Braitello, Guilelmo Petrariarum priore. De clericis : Fulcherio Sancti Martini precentore, Hugone proposito Carnotense, Matheo ejus nepote, Simone de Aurelianis, Harpino submagistro Scolarum Sancti Martini, Lancelino de Vindocino. De famulis : Petro Burdonio, Hilduino famulo precentoris, Landrico de Turre, Johanne mariscalpo.